

30

~~G. W. 27.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.


VITEBERG.

VI-26.

SIGNAT. ciōiōCCCXIII.

Stückzettel erled.
11. XII. 1949.





A. A. C. C.
 DISPUTATIO
 EXERCITATIONUM PHILO-
 SOPHICARUM XLVI,
 De
NATURA POLITICES, ET
 DE TRIBUS PRIMIS, SEU SIMPLI-
 CIBUS SOCIETATIBUS.

Quam,
 Auspicijs divini numinis,
 SUB PRÆSIDIO
M. TOBIÆ TILEMANI

V Vitteb. Colleg. Philos. Adjuncti,
 Liberalis exercitii gratiã defendendam suscipiet,
MICHAEL HERMANNUS
 Uratislaviensis Silesius,
 In celeberrimã V Vittebergensi Academiã,
 ad diem 7. Sept. horis loquz consuetis.
 Cicero lib. 7. ad Att. ep. 24.

Est omnino ars difficilis Rempubl. recte regere.

WITTEBERGÆ,
 Typis Iohannis Gormanni, ANNO M. DC. XI.



VIRIS
NOBILIBUS, AMPLISSIMIS
& INTEGERRIMIS,

Dn. ANDREÆ SEBISCH,
Dn. DANIELI ALTHOFF:

INCLITÆ VRATISLAVIEN-
SIUM REIPUBLICÆ CIVI-
BUS PRIMARIIS:

Dominis & Fautoribus meis ho-
noratissimis,

γύμνασμα hoc Politicum
gratitudinis & observantiæ:
symbolum
dicat

Michael Hermannus:
Respondens.

P R Æ L O Q V I U M.

Hactenus, ductu Veritatis & Simplicitatibus, qua Philosophorum
 Dij sunt, sententiâ Magni Scaligeri, lib. 4 Theoph de Pl. c. 7. Contem-
 plativam tam partem Philosophiæ, quam Ethicam speciatim sic vocita-
 tam, pro modulo ingenij sollicitâ & longâ animi provisione expendimus &
 Unice jam est in residuo, ut totum animum, omnemq; cogitationem in rerum Politica-
 rum excussione ponamus, & illas etiam ad pauculas nonnullas revocemus disquisitiones;
 Quippe cum Poëta nobis hoc suum tacite insusurret. aut perforce, nunquam. Aut ten-
 tes, &c. At, Politia, quanta disciplina? Est certè, ut Euphrates bene & verè apud
 Plinium, lib. 8. Epist. 10, Philosophiæ (cujus totius rationem continet, Lactant. lib. 31
 Inst. diu. c. 7) pulcherrima pars; Est, juxta Socratem, apud Xenoph. in lib. 4. Comm.
 & Plat. in Polit. ἐπισήμη βασιλική; Est, ut notat Plutarch. in Cat. ma. & August.
 in lib. 11. de Civ. Dei c. 28, præstantissima disciplina, & ut Philos. lib. 1. Polit. c. 2.
 honoratissima; Imò est cæterarum facultatum omnium princeps & domina, lib. 1 Eth.
 c. 1: Seu attendas ejus autorem, qui Deus est, Patrit. lib. 1. de regno c. 11. cujus lege
 immobilis rerum humanarum ordo seritur, Liv. lib. 25; Seu ejus consideres amplitudi-
 nem, quæ non in privato hæret commodo, sed enim in publico & communi, quodq; est
 ἐν τῷ εὖ καὶ καλῶς ζῆν, lib. 1, Polit. c. 1; Seu finem spectes, qui beata est civium vi-
 ta, ut hæc opibus firma, copijs locuples, gloriâ ampla, virtute honesta sit, Cic. lib. 5. de
 Rep. seu demum advertas necessitatem, cum eâ sine nec benè imperari nec obtempera-
 ri commodum imperantibus, imò nulla, universim sanè, non dicam florere disciplina,
 sed ne quidem exerceri ullâ queat ratione. Hinc excusè Plato in Gorgiâ declarat, quod
 Politica studia, suâ specie & pondere, omnium hominum animos alliciant imitatioq; ad
 sui cognitionem provocent. Et rectè per omnia Socrates apud Xen. in l. d. pronunciat,
 generosum, omniq; dignum favore esse ingenium illud, cui præcipuè discipline Politicæ
 cordi sint Nec est, quod quis dicat, frustra per ònia laborari in rebus cognoscendis Politicis
 cum hæc obvarietatem summam omnem respuant ordinem, ut latè hoc diducit Plato in
 Polit. indeq; planè & plenè nequeant doceri, dum ordo naturæ rerum sit, lib. 8. Phyl. c. 15:
 Nam vel inprimis hæc Philosophi effatum notandum est, quod eruditi sit, easenus ex-
 actam in unoquoq; genere tractationem requirere, quâ patri rei ipsius natura potest, lib.
 1. Ethic. c. 3. Deinde licet hæc non sit ἐπισημονικὴ ἀκρίβεια: Tamen in generalib;,
 contentos esse maximè nos addecet, specialib; partim ad Prudentiam, partim ad Hi-
 storica exempla dirigentes. Sed satis hæc verborum: Quin concisò ad rem accedimus
 ipsam, hac vice constitutionem tum Politicæ, tum Reipub. primigeniam, banc ad ra-
 tionem consideraturi.

T H E S I S I.

Cum omnis futura theoria prima πρὸ γνῶσις, & ὑπόθεσις sum-
 ma debeat esse vocum distinctio, quæ ut omnis humanæ cognitiōnis
 primum principium, Themist. ad c. 1. lib. 1. Post. ita initiò neglecta, omnis
 in cognoscendo συγχύσεως καὶ ἀταξίας causa est, lib. 2. Soph. El. c. 2.
 & lib. 1. de cælo c. 11. Idèd, cum vocabulum etiam τῆς πολιτείας sit ἐκ
 τῶν πολλῶς λεγομένων, initiò solertiùs advertere ejus acceptationes
 & significationes, curæ pretium erit.

I I. Notat verò illud quandoq; communitationem juris in aliqua Republ. quomodo vulgò dicitur, acquirere seu perdere jus civitatis seu politiam; Quandoq; vii arq; hominis civilis, ut cum Periculis in gerenda Rep. occupacionem (politiam) laudamus. &c. Quandoq; unicam illustrem, & Reipubl. causã susceptam actionem, ut pecunie largitionem in cives. &c. Deniq; & hoc in loco, notat ordinem & constitutionem civitatis, ad quam diriguntur actiones, Plutarch. in l. de tripl. statu f. mibi 73.

II. Hinc etiam ἀπὸ τῆς πόλεως nomen suum traxit, ac ab Aristotele definitur. quod sit τῶν τὴν πόλιν οἰκούντων ἑξῆς τις, ordo inhabitantium civitatem, lib. 3. Polit. c. 1: Ut enim corpus sine anima, calum sine lumine; Ita civitas sine ordine, quo certè omnia ejus membra vigent ac diriguntur, Cas. lib. 3. Sph. civit. c. 4.

IV. A politeia autem notatio vocis est Politica, quasi dicas politeia disciplinam, dum hanc πολιτείαν, hoc est, certum ordinem, regimen certum, introducit in civitatem, seu societatem humanam: Estq; aliud nihil, (quã non κατ' ἐξοχήν, pro Philosophia practica tota, sumitur, sed quã speciatim pro nobiliss. ejus parte) quam prudentia, rectè Reipubl. administrandi, ut homines in eã benè beateq; vivere possint, Plato in Erasta.

V. Quã in definitione tria potiss. attentè attendenda offerunt se, 1. Genus, quod est prudentia: Siquidem Politica essentia minime omnium in θεωρία locata est, sed in πράξει unice consistit, dum humanum actiones sic civiliter informat, ut illæ ad summum Politicum bonum consequendum fin: aptæ, sint accommodatæ; Humanarum autem actionum Prudentia magistra est, est & domina, utq; medicina valetudinis, sic hæc vivendi est ars, Cic. lib. 5. de Fin. Scal. lib. 3. Poët. c. 1. f. 205.

VI. 2. Objectum, quod est civitas, seu societas humana, lib. 1. Oeconom. c. 1. Tùm quia in Politicã hæc latissimè diffunditur, tùm quia in ea finem ea introducit, Reipubl. puta, tùm demum quia omnia in Politicis tractata ad eam solim reducuntur; Propterea etiam in pr. lib. 3. Pol. antequam Reipubl. aggrederetur, sumit Philosophus civitatem ὡς ἐν τῷ πρώτῳ sibi explicandam.

VII. 3. Finis, qui hinc duplex, externus & internus: Externum intelligit Aristoteles lib. 7. Polit. c. 1., 2 &c. ubi benè beateq; vivere Reipubl. summum vocitat bonum, illiq; finem internum subjicit, quando Reip. & civitatē propter benè vivere institutam docet, lib. 1. Pol. c. 2. & l. 3. c. 6. Finem externum, seu summum Politicum bonum, semper præsupponit poli-

ticus.



ticus, utpotè quod in antè in generali Ethicâ ad sufficientiam explicatum.
II X. Internus finis, quem Scopus instat, ad quem omnia sua referat, Po-
litica habet, est ipsa Respubl. quippe per quam rectè institutam multitudo
beatè vivit: Vnde Speusippo, in defn. Platon. mens, & Aristoteli, lib. 4.
Polit. cap. 11. vocatur vita civitatù, & Isocrati in Areop. anima multitudi-
nis. In Republ. enim continentur omnia bona, quæ, qui in multitudine vi-
vit, expectare queat, & eâ sine vivere nemo potest, nisi extremè malus,
aut Deus, lib. 2. Polit. c. 2.

IX. Atq; hinc non incommodùm distribuitur Politica in duas partes,
quarum una de ipsa Respubl. occupata tenetur, ut legitimâ constituendâ
figuratione: Vbi ejus notanda tum Materia, quæ sunt Societates, partim
primæ & simplices, partim secundariæ & conjunctæ; Tum forma, quâ dis-
sipata Respubl. membra uniuntur; Tum Respubl. species, tam simplices,
quàm mixtæ; Tum demum membra seu partes ejusdem.

X. Pars altera in ijs tota est, quæ Rempubl. conservant vel corrumpunt:
Satis enim minimè est Rempubl. ex suis partibus componere, sed & illud
inquisitè attendendum, ut in statu suo omni ex parte incolumis conservetur,
siq; ab eo paulatim deflectere inceperit, in vigorem reducat, ac quantum
ejus unquam fieri potest, à corruptione vindicetur.

XI. Ceterùm ob generalitatem suam, & quod tempore formâ Reip:
prior sit, primò de Materiâ tractationem hic suscipientes, dicimus, socie-
tatem seu familiam, quâ propriè & strictè acceptatur, (aliàs enim sumitur
vel pro stemmate seu gente, vel significat universam rem familiarem. &c.)
esse plurimum unius patris familiars imperio subjeutorum, earumq; rerum,
quæ ipsis propriæ sunt, rectam gubernationem.

XII. Et hanc constituunt ac absolvunt ad minimum personæ tres: Siqui-
dem ipsi duplex per omnia finis propositus est, procreatio nimirum sobolis,
& sustentatio liberorum; Ad illam autem opus est maximè Viro & Vxore,
ad banc verò Servo, qui tamen non in individuo, ut mas & femina, sed in
specie intelligendus est.

XIII. Origo autem & causa efficiens societatis omnis, alia est princí-
palis, eaq; vel remota, ut Deus, vel propinqua, ut affectus naturalis, dum
Homo τῆ φύσει ζῶον πολιτικόν sit, l. 1. Polit. c. 2. ac proinde vita quam
ex pravitate animi vivunt homines μισάνθρωποι, & ἀπόλιδες, sine
certo lare, foco, & sede, non tantùm damnanda omnigenis modis, sed ne-

Republ.
oliticam,
cupatio.
Republ.
deniq; &
riguntur.
triflor ele
bit anti-
n sine lu-
at divi-
eia disci-
certum,
oil, (quâ
speciatim
randi, ut
e, 1. Ge-
nium in
actiones
uendum
udentia
rendi est
Oecom.
ha re fi-
ticis tra-
pol. ante-
év τῶ πω
um intell-
e Republ.
Remp. &
3. c. 6. Fi-
ponit poli-
ticus.

quidem ullâ ratione tolleranda: Alia est minus principalis, ut necessitas & indigentia, potissimum à natura & à diuina.

XIV. Ac primò omnium sola fuit maritalis conjunctio, deinde tota domestica societas coâluit, ex illâ integra familie gentilitia, quibus extranea accesserunt, sic ut distinctis locis habitantes primò vicos, deinde pagos, post oppida & urbes, deniq; provincias & regna constituerent, Georg Schönb. lib. 1. Polit. c. 4.

XV. Verum n. missis cæteris societatibus, hac vice tantum de primis verborum nonnihil hic serere, est ad lubentiam: Et primùm quidem de societate conjugali, quippè quæ seminariū Reipubl. est & caput quasi reliquarum societatum, Plato lib 4. de LL. Cic. lib 1. Offic. Ad hanc verò requiruntur, tum Sponsalia, quæ mentio sunt & repromissio futurarum nuptiarum: Et vel de presenti, quæ efficacem obligationem inducunt, vel de futuro, cum quibus res secus se habet.

XVI. Tum Conjugium, (quod duo quasi jungantur in unum) estq; legitima maris unius & femine conjunctio, individuam vitæ consuetudinem continens, atq; ad sobolis procreationem tendens: Hac definitio ut resoluta penitus videatur, iuvat conjugij causas ordine, at breuiter, recensuisse, altioreq; paululum intellectu percurrisse.

XVII. Causa igitur ejus Efficiens est vel remota, ut est ipse Deus, qui hunc vitæ statum tum instituit, & quidem mox à primordiis creationis, tum sancivit legibus, tum insignitè benedixit: Vel propinqua, & est consensus legitimus, sive pactio conjugalis; Consensus enim facit matrimonium, licet nudus & tacitus, sicuti inter absentes vel per internuncium, vel per epistolam, contingere solet.

XVIII. Hic autem consensus est duplex, partim contrahentium, ita ut de nihilo ex asse sint illæ nuptiæ, in quas utraq; pars contrahentium non consensit: Partim parentum, eorumvè qui loco sunt parentum, & hic non saltem de honestate, sed maximè est de necessitate legitimi conjugij; Ita tamen, ut parentes hic non habeant absolutam cogendi potestatem, & honestam conditionem, re maximè non integrâ amplius, facile temerevè excludant.

XIX. Materia conjugij est Vir & Mulier: Quo ipso clarè ostenditur, unum unius esse conjugem, pluralitas quippè seu polygamia, uno eodemq; tempore, (soluta enim matrimonio, si alia ducitur, culpam non habet, aut vitium aliquod incurrit) jam simpliciter ferenda non est, cum primæ conjugij institutioni per omnia sit contraria, 20. 2. lñ

XX. 2. In utraq; personâ adesse debere tûm pubertatem, quam non tàm ex annorum numero, quam ex constitutione corporum aestimandam censemus esse: Tûm habilitatem ad conjugium seu ineundum seu consumandum; Vnde furiosi matrimonium contrahere nequeunt, & Eunuchorum conjugio, quorum insanabile, & nuptias vitium antegressum est, matrimonij nomen non subit.

XXI. 3. Personas illas non debere in antè strictim conjunctas esse, vinculo vel Consanguinitatis, qua est cognatio seu necessitudo inter personas ab eodem stipite descendentes, vel Affinitatis, qua cognatio est justis nuptiis inter maris & fœminæ cognatos, contracta.

XXII. Forma ulterius matrimonij est vel essentialis. & consistit in obligatione, nexu sive vinculo, ex consensu legitimo nascente; Inde q; divortia, utpotè vinculum hoc maxime disrumpentia, merito improbantur, ijs modò exceptis, quæ fiunt ob adulteria, aut ob ea quæ his equiparari possunt, convelluntvè matrimonij essentialia: vel accidentalis, quæ potiss. in is egl. yia hæret, inq; celebritate & solennitate nuptiarum.

XXIII. Demum conjugij finis est & ultimus, gloria nimirum Dei, & proximus, tûm procreatio & educatio sobolis, tûm mutuum auxilium, & suavis conjugum solatium; Quibus accidentaria ratione accessit & hic, ut nimirum libidinis in naturâ corruptâ fomitem accensum, remedij vicem præstet. Hactenus brevissimè de societate Domesticâ, seu conjugali.

XXIV. Hanc insequitur Paterna societas, verè regia, Aristot. elogio lib. 1. Pol. c. 8. & lib. 1. œcono. 3. cum in eâ inferior persona superiori debeat reverentiam: Est q; inter Parentes, à quibus liberi habent vitam, sustentationemq; vitæ; Et Liberos, qui omnia naturalia accepta ferre parentibus, ijsq; tenentur debitam præstare obedientiam.

XXV. Parentum autem officium in tribus potiss. consistit, 1. In educatione, ut liberi vivant, & benè quidem, & religiosè insuper: Inde q; ipsius natura ductu parentes intelligere habent, liberis alimenta præstanda esse pro modo facultatum, cum naturalis ratio suadeat, ut unumquodq; ex eo alimentum accipiat, ex quo generatum fuerit, lib. 6. Polit. c. ult.

XXVI. 2. In defensione, siquidem iterum æquitati naturali vel maxime consentaneum est, ut quis ab eo defendatur, à quo originem trahit. 3. In disciplinâ domesticâ, quæ tamen non severa nimis esse debet, sed moderata & rationi consentanea, cum non in atrocitate, sed in pietate & humanitate patriâ potestati sita sit: Minime idcirco parentibus concedenda potestas est.

est vita & necis in liberos, vindictā n. privatam nemini concedi tutum est.

XXVII. Liberos verò quod attinet officium, illud, notā unius verbi, residet in Honore, cuius ambitu tenentur, tum reverētia, tum obedientia, in omnibus honestis & licitis, tum amoris quasi ardor, tum gratitudo, tum demū æquitas, quā parentū infirmitates, navos aut errores, nec ferant impatiēter, nec impudenter efferant, nec malitiosè exagitent, aut eos injustè repellant.

XXVIII. Eatenus autē hac attendēda seriò veniunt, quā non aliquid aliud vel Deus, vel suadet Natura: Quinimò nec in ijs, quæ Gellius *pecca seu cōdici* Poppe vocat, lib. 2. N. A. c. 7. parentibus semper obediendum est, sicuti exemplo hoc declarat clarè Philosophus lib. 9. Eth. c. 2; Vt quoq; ab obedientia liberatur filius per publicum officium, quod tum totius civitatis personam gerat, Cic. lib. 1. Off. c. quæ indubiè privata ē patris potestate major est. Tantūm & de hac societate.

XXIX. Superest tertia & ultima, Herilis nimirum, de quā tribus verbis: Est verò hac inter Dominum, qui est persona domestica servis imperans, jubensq; ea facere, quæ honestatis limites minimè transgrediūtur; Et Servū, qui est persona domestica, idonea ad exequenda mandata sui domini, cū fidelitate omni, dū per servos melior nostra conditio fieri debeat, nō deterior.

XXX. Estq; servus alius (potestate, & quidem post lapsum) Naturā, qui præter rationis ingenijq; imbecillitatem, nec familiam regere ullam, neq; sibi ipsi utilia prospicere potest, aliās, ob corporis vires, laboribus ferendis, aliorumq; mandatis expediendis, idoneus est: Alius lege, qui vel in bello captus est, vel certis de causis alijs potestate aliorum subiectus, ad quorū nutum se cōponere cogitur, aliās naturā homo liber, l. 1. Pol. c. 1.

XXXI. Ac quamvis Romani in servos potestatem habuerunt magnam, adeo ut vel de causā leviculā impunè eosdem occiderent, cum jus nullum haberent, quin potè pecudibus comparabantur: Interim tamen hæc summa crudelitas, ut sanioribus gentibus maxime d'splicuit, sic in bene constituta Republ. minimè omnium est toleranda. Et hæc ὡς ἔν τῶν, de tribus primis ac simplicibus societatibus.

ADJECTANE A.

1. Politici libri non ob hominum pravitatem, sed ob necessitatem artis confecti sunt. 2. Et prudentia politica nil aliud est, quàm virtutum Ethicarum in conversatione civili usus. 3. Politici verò sunt, non politici, qui se possunt accommodare locis, personis. &c. 4. Interim soli principes & consiliarii Politici dicendi non sunt. 5. Sponsalia in ebrietate contracta, pro ratione circumstantiarum, rescindi possunt. 6. Si quis & clandestina omnino rescindenda. 7. Cum Iudeis, Turcis &c. matrimonium contrahi nequit. 8. In gradibus prohibitis non potest d'spensari. 9. Morbi contagiosi, matrimonium non d'ssolvunt. 10. Monachus à patris potestate filium minimè absolvit.

F I N I S.

Umg. VI 26

= [Dissertationes
Theol. Vol. 707]



Sb.

VD 17





A. C. C.
PUTATIO
TIONUM PHILO.
CARUM XLVI,

De
POLITICES, ET
PRIMIS, SEU SIMPLI-
SOCIETATIBUS.

Quam,
icys divini numinis,
B PRÆSIDIO
Æ T I L E M A N I

colleg. Philos. Adjuncti,
i gratiâ defendendam suscipiet,
L HERMANNUS
slaviensis Silesius,

Vittebergensi Academiâ,
Sept. horis locog, consuetis.
lib. 7. ad Att. ep. 24.
rs diff:ilis Rempubl. rellê
regere.

ITTEBERGÆ,
manni, ANNO M. DC. XI.



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Farbkarte #13

B.I.G.